

#### 1.4.4

*Impp. Theodosius Arcadius et Honorius AAA. Rufino pp.*

Mimae et quae ludibrio corporis sui  
quaestum faciunt publice habitu earum virginum,  
quae deo dicatae sunt, non utantur.

*D. III k. Iul. Heracleae Arcadio A. III et Honorio A. II cons. [a. 394]*

#### 1.4.5

*Impp. Arcadius et Honorius AA. Gennadio praefecto Augustali*

Archigerontes et dioecetae ergasiotanorum  
non nisi Christiani dirigantur. quod  
officium tuum sollicite observet excubiis.

*D. non. Febr. Constantinopoli. pp. Alexandrine Eutycheo  
Arcadio III et Honorio III AA. cons. [a. 396]*

#### 1.4.6

*Idem AA. Rufino pp.*

Addictos supplicio et pro criminum immanitate damnatos  
nulli clericorum vel monachorum, eorum etiam, quos synoditas  
vocant, per vim atque usurpationem vindicare  
liceat ac tenere, sed reos ad locum poenae sub  
prosecutione pergentes nullus teneat aut defendat.

1 ¶ Sed sciat se cognitor triginta librarum auri multa,  
primates officii capitali esse sententia feriendos, nisi  
usurpatio ista aut protinus vindicetur aut, si tanta  
clericorum aut monachorum audacia est, ut bellum  
potius quam iudicium futurum esse existimetur, ad  
clementiam nostram commissa referantur, ut nostro  
arbitrio mox severior ultio procedat.

2 ¶ Ad episcoporum sane culpam ut cetera redundabit, si quid  
forte in ea parte regionis, in qua ipsi populos Christianae  
religionis doctrinae insinuatione moderantur,  
ex his, quae fieri hac lege prohibuimus, a monachis  
perpetratum esse cognoverint nec vindicaverint.

3 ¶ Quibus in causa criminali humanitatis consideratione,  
si tempora suffragantur, interponendae provocationis  
copiam non negamus.

*D. VI k. Aug. Mnizo Honorio A. IIII et Eutychiano cons. [a. 398]*